

*De Equipollentiâ*

281

tem vel tres negent 2. not. quod particula negativa, immediatè copulæ præposita, mutat tantum qualitatem, h. e. ex affirmante faciat negantem, e. g. in hac *homo est justus per opera*, particula negans si copulæ immediatè apponitur, mutat qualitatem & ex affirmante illâ facit hanc negantem, *homo non est justus per opera*. 3. particula negativa signo præposita, mutat quantitatem & qualitatem, e. g. hæc, *O peccator recedit à Lege divinâ*, ratione quantit. est universalis, ratione qualitatis verò est affirmans; particula negativa præposita signo utramque mutat, ut ratione quantitatis fiat particularis, ratione qualitatis negans, h. m. *Non omnis peccator recedit à Lege divinâ*.

14. Nota: Cum dicitur, particulam negativam immediatè copulæ præpositam, mutare tantum qualitatem, id intelligendum est de particulâ negativâ secundum suam vim naturalem: Interdum autem accidit, ut ex intentione & pronuntiatione loquentis præter qualitatem afficiat quoque & mutet quantitatem, e. g. cum dico: *Omnes qui Christiani nominantur, non sunt veri Christiani*, si in pronuntiatione hujus enunciationis signum universale supprimitur aliquò modò, negatio autem elevatur & cum aliquâ morâ pronuntiat, habetur pro particulari negante, & negatio, licet copulæ præponatur, afficere censetur etiam quantitatem, ut eundem sen-

S 5

fura